Inhibicio vel Ablacio ne subditi deferantur ad alia tribunalia

In Negocio Archiepi. et Civitatis Bisuntin/

Archiepo / Rex Romanorum

Fridericus etc. Venli Quintino archiepo Bisuntin. principi nostro devoto dilecto Graciam etc. Venlis princeps devote dilecte, Insinuarunt nobis nuper honlis Rectores Cives et incole Civitatis tue Bisuntin. nostri et Imperii sacri fideles dilecti. quomodo ipsi pridem quodam iusto timore compulsi. quandam villam ecclesie tue Civitati Iminentem, ex qua hostes qui tunc formidabantur plurima ipsis potuissent inferre nocumenta, cum mansione Epali atque ecclesia demoliri fecerunt. minus malum eligentes. ne tollerare cogerentur maius, Ob quam rem inter te et ipsos. atque quasdam libertates esse discordias retulerunt, Nam licet ipsi Bisuntin. dicta occasione tibi et ecclesie tue recompensam facere. et redditus equivalentes in locum destructe ville offerrent, Tua tamen devotio huiusmodi non contenta civitatem com-munitatem illam Bisuntinam. tam per censuras ecclesiasticas. quam per alios modos vexare. et curiam Epalem transferre extra civitatem intendit, sic et civitatis interitus iam dicitur esse manifestus, Ob quam rem ad maiestatem nostram Rectores Cives et incole prefati recurrentes. sibi de oportuno per nos provideri remedio humiliter supplicarunt, Nos vero attendentes quod ea res gravis est. Quodque tam tua devotio ratione feudi. quam ipsi Cives ratione cause ad solum tribunal nostrum. pertinere dinoscuntur debetis revertere/ Et attendentes oblacionem prefatorum Bis. non contempnendam. qui pro dampnis ecclesie tue illatis decente satisfacere promittunt. Subditorum nostrorum pacifico statui providere cupientes. quoties opus est succurrere valentes, Devocioni tue harum serie precipimus. ac sub debito quo nobis et Imperio Sacro teneris mandamus. ne rectores Cives et incolas prefatos ad aliud quam ad nostrum tribunal trahas/

Sic civitatis interitus iam dicitur esse manifestus

Collige quod Episcopus Ratisbonensis procedet quod Nunc quod obtineret a Rege simile talem sibi mitti mandatum Et hoc esset bona quod sic in ferendo/